



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *CULMENSIS*\*

IN URBE KAMIÉN-KRAJENSKI, IN DIOECESI CULMENSIS, CAPITULUM COLLEGIALE  
RESTITUITUR IN TEMPLO SS. PETRI ET PAULI.

Etsi Deus, quippe aeternus et infinitus, omniumque rerum, quotquot sive in caelo sive in terra sunt, creator, omnem gloriam ex sua ipsius divina natura capiat, nonnihil Eum tamen honoris tum e rerum creaturarum magnificentia, tum etiam e sacrarum caerimoniarum splendore, quae in templis peraguntur quibusque summo Numini pietatis cultus tribuitur, habere, cognitum sane compertumque est omnibus. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Casimirus Iosephus Kowalski, Episcopus Culmensis, id ab Apostolica Sede petierit, ut in templo SS. Apostolorum Petri et Pauli, quod est in civitate Kamién-Krajenski, quodque vetustissimum est, Collegiale Capitulum restitueretur olim florentissimum, cumque Sacra Congregatio Consistorialis factis a Nobis facultatibus admotis precibus concedendum esse existimaverit, Nos consilio petito a dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Stephano Wyszynski, Archiepiscopo Gnesnensi et Varsaviensi, cuius est Episcopus Culmensis suffraganeus, Sacrae Congregationis consulta confirmantes, haec statuimus: templum paroeciale, quod supra memoravimus, ad gradum Collegiatae aedis tollimus, cum iuribus debitis, ibique Canonice collegium condimus ad normas quae sequuntur. Collegiale Capitulum quattuor Canonicis constabit unaque Dignitate, hoc est Praepositi, qui erit Curio templi SS. Petri et Pauli Apostolorum. Chorales preces fundentur in die Purificationis B. M. V., in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, quibus nempe Sessio habetur generalis, ceterisque diebus a Constitutionibus definiendis. Ad insignia et habitum quod attinet, Canonici super habitum Pianum rochetum et mantelletum, quod dicunt, nigri coloris cum orbiculis et ocellis rubris et signum vulgo Distintorio canonice induent, Praepositus vero mantelletum violacei coloris. Canonice praebendae distributionibus inter praesentes constituentur, quae Statutis Capitularibus temperabuntur. Dignitatis collatio Apostolicae Sedi reservatur, Canonice ad leges iuris communis fiet. Poterunt autem in Canonicis annumerari etiam sacerdotes qui alio iam beneficio fruuntur, etsi cum animorum curatione coniuncto. Ceterum, ea omnia quae iussimus dilectus Filius Stephanus S. R. E. Cardinalis Wyszynski facienda curet, factis necessariis potestatibus; poterit autem et alium delegare, si visum fuerit, dummodo in

ecclesiastica potestate constitutum virum. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.*

IACOBUS A. Card. COPELLO <i>S. R. E. Cancellarius</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consistorialis a Secretis</i>
--	--

*pro Regente*

Rodomons Galligani Franciscus Hannibal Ferretti, *Protonot. Apost. Decanus*

Ioannes Calleri, *Proton.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 8, pp. 569-570 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana